DE POLYPIS UTERI HORUMQUE RESECTIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS,
DIE I. M. MAJI A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET

AUCTOR
SIGISMUNDUS SIMSON,
VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
H. BRESSLER, MED. ET CHIRURG. DR.,
H. FRIEDBERG, MED. ET CHIRURG. DD.,
H. HEUTZFELD, MED. ET CHIRURG. CAND.

ACCEDIT TABULA LITHOGR.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

A. E. DE SIEBOLD

PHILOS. MED. CHIR. ET ART. OBSTETRIC. DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITERAR. BEROLIN. MED. ET ART. OBSTETR. PROFESS. PUBL. ORDINARIO, INSTITUTI REGII OBSTETRIC. CLINICI DIRECTORI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, ORDINIS REG. AQUILAE RUBRAE, ORDIN. HANNOV. GUELPHOR. EQUITI, REG. COLLEG. MEDICO-TECHN. PRIMAR. MEMBRO, SOCIETAT. CAESAR. MEDIC. VILNENS. ACAD. REG. NATUR. CURIOS. SOCIETAT. MEDIC. AEMULANT. PARIS. JENENS. HANNOV. SCIENTIARUM PHYSIC. ET MED. AD RHEN. INFERIOR., NATUR. CURIOS. SENKENBERG. NEC NON SOCIET. SCIENT. AGRICULT. ET ART. RHEN. INFR. ARGENTOR. ETC. SODALI,

PRAECEPTORI,

SUMMA PIETATE COLENDO,

FAUTORI AC PATRONO

OPTIME DE SE MERITO

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO

J. F. M. KRUTTGE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, BORUSSORUM REGI IN REBUS MEDICIS A CONSILIIS, VRATISLAVIENSIUM PHYSICO PRIMARIO MERITISSIMO ET MEDICO PRACTICO FELICISSIMO, PLUR. SOCIETT. SODALI, NEC NON CRUC. FERR. EQUITI. CET.

FAUTORI AC PATRONO

AD CINERES USQUE COLENDO

HUNCCE LIBELLUM

UT GRATISSIMI ANIMI TESSERAM

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quamquam in nulla alia scientia tanta scriptori novi docendi data videatur occasio, quam in saluberrima medicina ob veterum theoriarum, tum tenebras, tum errata, attamen accuratius rem perspicienti facile patebit, in hac ipsa scientia maxima progrediendi nobis occurrere impedimenta. Natura enim non vacuus est liber, cujus in pagellas medicus sententias suas possit inscribere, sed summa sapientia, obscuris quidem literis conscripta, est plenus, cui legendo et intelligendo summa medico est danda opera. Non igitur nova inveniendi sed occulta reperiendi sanctissimum medici est negotium, quod a nostrorum studiorum initio, summus nobis esse debet scopus, nullis removendus impedimentis.

Quae cum ita sint, ego ad vitam practicam adgrediens tantum absum, ut nova et inaudita in hac mea dissertatione docere suscipiam, ut potius totam humanam vitam vix huic muneri perficiendo parem esse credam, nisi excelsum ingenium praecipuaque observandi facultas rem adjuverint. Quamobrem, praeceptorem meum, ad cineres usque colendum, illustrissimum de *Siebold* adii, ut ex immensa sua observatorum copia aliquantulùm mihi suppeditaret, quod ut huic opusculo decori, ita lectoribus usui fore, speravi. Qui,

quum pro insigni sua humanitate mihi deesse noluerit, uteri polyporum historiam et praecipue eorum resectionem proposuit tractandam, morbum tum per se gravem, tum diversis de ejus cura sententiis insignem. Inter omnes autem, qui polypos observarunt deque iis scripserunt, maximam Ill. de *Siebold* meretur fidem, tum ob ejus observandi diligentiam, tum ob ejus de arte obstetricia merita. Hujus nominis igitur auctoritas, in omnibus medicinae provinciis magna, in ea, quam nunc tractaturus sum, summa me excuset, si, tiro, virorum in eadem scientia maxime peritorum sententias refellere ausus fuero, vestramque, legentes, mihi paret indulgentiam.

Polypus uteri excrescentia est morbosa tunicae mucosae, superficiei uteri internae incumbentis. Multa reperiuntur nomina in scriptis et veterum et recentiorum, qui de morbis mulierum scripserunt, auctorum, e. g. σαρκώδης ἔκφυσις, κέρκωσις *Pauli Aeginetae*[1]), cauda asinina *Aetii Amideni*[2]), quae non synonyma sunt polypis, sed morbos plerumque clitoridis significant, vel molas, vel alias excrescentias. Verbo πολυπους jam *Galenus*, *Celsus* [3]), *Paulus Aegineta* usi sunt imprimis pro polypo narium, quem prius quam uteri cognosse videntur. *Galenus*, quia hujus excrescentiae carnem texturae polypi marini similem existimat; *Aegineta*, quia polypus morbosus radicibus suis omnibus lateribus cavitatis, cui insidet, adhaereat, respirationemque et loquelam impediat, marino illo animali haud dissimilis, quod nautam arripit brachiisque suis amplectitur et constringit. Sic etiam *Fabricius* ab *Aquapendente* [4]) nomen illud excusat hisce verbis: „tum quod illius „carnem repraesentat tum quod suo complexu, qui „ipsum capiunt, ulciscatur, ita vitium hoc nares com„prehendens ipsas obstruit."

Ceterorum auctorum definitiones qui accuratius comparare voluerit, evolvat *Meißneri* [5]) librum, qui fusius copiosiusque hanc rem tractat [6]).

§. 2.

Multum inter se differunt polypi, quo ad formam, magnitudinem, structuram. Inveniuntur rotundi, conici, oblongi, modo pyri modo cepae prae se ferentes speciem (usitatissimam), quae ab ipso

---

[1]) Totius rei medicae l. VII. Basil. 1556. lib. VI. Cap. LXX.
[2]) Lib. XVI. Cap. 106.
[3]) De Medicina l. VI, Cap. 8.
[4]) Operat. chirurg. P. I. p. 181.
[5]) *Meißner* über die Polypen in den verschiedenen Höhlen des menschlichen Körpers. Leipz. 1820.
[6]) Nec non *Mayeri* commentationem de polypis uteri Berol. 821. evolvat. b. l.

utero formari videtur [1]), modo tenuius, modo crassius petiolati. *Haukius* [2]) radicem polypi tenuissimam plane negat, seque semper peripheri:·ı radicis tertiae parti peripheriae corporis aequantem invenisse asserit, cui notioni Ill. de *Siebold* annuit (l. c. p. 686.) quamquam cum aliis auctoribus esse polypos, quorum radix tenuissima sit, plane consentiat. Praeterea tenuitas vel crassities ab uteri vel ejusdem orificii vi sese contrahendi pendere videtur, ut jam *Starkius* (l. c. p. 9.) dicit: „der Gebärmutterhals und „Mund zieht sich wieder mehr zusammen, schnürt „die Polypenmasse nach und nach zusammen, und „jemehr das geschicht, desto dünner wird der Stiel." Huc etiam pertinet, quod *Herbiniaux* de polypis refert in libro: Traité sur divers accouchemens laborieux et sur les polypes de la matrice Bruxelles 1782. „fieri etiam potest, petiolo polypi tenuissimo, uterique ab orificio valde constricto, polypus libenter solvatur [3]).

§. 3.

Magnitudo polyporum tam est diversa ut aliorum excrescentium uteri. Eandem quoque increscendi viam sequuntur. Primo exigui, quo in statu nullas afferunt molestias, aucti vero magnitudine nucis avellanae usque ad ovum columbinum inveniuntur, sed rarissima exstant polyporum exempla caput infantis aequiparantium, librarum trium usque decem continentium. Sic *G. M. Richter* [4]) de polypo narrat ponderis fuisse quatuor librarum et dimidiae, „majorque" gloriatur, „quam umquam in „scriptis aliorum obstetricatorum descriptum inveni- „tur, et qui qualecunque Musaei anatomici Univer- „sitatis sistit." Sed jam *A. G. Richter* [5]) de polypo ponderis librarum decem et dimidiae commemorat, aliaeque sine dubio exstant collectiones, quae exemplis gaudent rarissimis.

---

[1]) *v. Siebold* Handbuch der Frauenzimmerkrankheiten I. §. 794. *Starks* Archiv f. Geburtshülfe B. I. St. 3. p. 2.

[2]) *Rust* Magazin für die gesammte Heilkunde II. p. 269.

[3]) Cf. Richter chirurg. Biblioth. Bd. VI. S. 216.

[4]) Synopsis praxis medic. obstetric. Mosquae 1810 p. 115.

[5]) Chirurg. Bibl. Bd. IX. p. 252. *Baudier* von einem ungewöhnlich grofsen Mutterpolypen.

§. 4.

Superficies polyporum aut laevis, tunica imbuta frondosa, villosa, aut inaequalis, sulcata, colore rubro vel e rubro candicante. Laevis apparet superficies, si polypi a tunica intima uteri, quae valde extenuari et expandi potest, vestiti permanent; frondosa contra villosaque, si tunica ista dirumpitur, si, polypis magna vi et celeritate crescentibus, insigni extenuationi resistere tunica nequit. *Starkius* laevitatem a massa viscida et glutinosa firmioreque cohaerentia glutinis telaeque cellulosae derivat, circumdantem autem tunicam negat; pariter villositatem a debiliori cohaerentia superficiei, a sanguine aliisque humoribus ex aliis uteri aperturis penetrantibus, quibus superficies solvatur, oriri dicit, quam autem sententiam non probaverim, praecipue cum *Levretus*, qui multam huic rei impendebat operam, involucrum polyporum evidentissime continuatum tunicam internam uteri dignovit, imo quondam crassitie lineae unius vasaque complexa vidit. Polypum potius semper tunica esse indutum credo cum *Meifsnero*, quia tela cellulosa nuda omnique integumento carens numquam forma tam regulari, uti in morbo nostro animadvertimus, gaudere possit.

§. 5.

Quoad structuram eadem reperiuntur varietate ac forma magnitudine et superficie. Occurrunt fibrosi, molles, spongiosi; parenchymate quoque solidiori, compacto, firmo, glandularum indolem simulante, massae placentae uterinae haud dissimiles. Sunt etiam qui cavitatibus non careant tubulosis, saccatis, fluidum quoddam mucosum et lymphaticum continentibus. Saepissime materiam continent adiposam, sanguineam, interdumque etiam stria longitudinalia membranosa, quoad formam ligamentis haud dissimilia, unde petioli tendinei originem ducere videntur. Ill. de *Siebold* polypum deligavit superficiei plane laevis, substantiae corneae, quae uti cornea oculi in singulas lamellas facile disjungi potuit. Sanguiferis plane caruit vasis.

Cultro anatomico investiganti variaque directione dissecanti, nec non maceratione et injectione instituta cavitates apparebunt canaliculique, e tela cel-

lulosa sanguiferisque constituti vasis, quae ostia arteriosa hiantia, satis distincta offerunt[1]). Eadem *Levretus* [2]), qui in polypo deligato arteriam vidit, haud parvae, ut ait, amplitudinis, eadem multi alii contendunt, sed non desunt etiam, qui hoc refutant. *L'Aumonier* [3]) *Levreti* plane negat observationem. *Starkius* [4]) vero, qui summam curam diligentiamque polyporum dissectioni impendebat, canaliculos quidem sanguine repletos reperit, sed vera negavit vasa. „Alle" inquit, „haben in ihrem Körperbau Ca„näle und werden von ihnen durchhöhlt, und man„nigfaltig durchkreutzt, doch sind es keine vollkom„mene Blutgefäfse. Denn sie lassen sich nicht se„pariren von der andern Masse, die mit dem äusser„sten Rand von einerlei Fasern gebaut sind. Pulsi„ren habe ich auch nie während der Operation „oder während des Untersuchens wahrnehmen kön„nen." Idem l. c. p. 8. „Ich finde daher auch „nicht Grund genug eine vollkommene Circulation „der Säfte darin anzunehmen, noch viel weniger „wahre Venen und Arterien."

Cui sententiae nequaquam abnuens, *Carus* [5]) polyporum parenchyma repletum esse sanguine per cellulas venosas uteri penetrante contendit, hisce quidem verbis: „Ihr inneres ist aus schwammigen Zellgewebe gebildet, welches reichlich von Blut durchdrungen ist, dessen Eintritt man sich wohl aus den Venenzellen des Uterus, und zwar ohne besondere Gefäfse, durch Gänge in diesem schwammigen Zellgewebe zu denken hat, welche Gänge öfters (wie ich an zwei beträchtliche Polypen, so ich in meiner Sammlung habe, deutlich merken kann) an der Oberfläche durch Poren sich öffnen, woraus zum Theil das häufige Aussickern von Blut aus denselben zu erklären ist."

Ill. de *Siebold* neque arterias pulsantes in polypis observavit neque vasa majora continua, neque unquam haemorrhagiam inter amputationem. *Mayer* de polyp. ut. p. 16.

---

1) *Hauk* über Mutterpolypen *Rust* Mag. Bd. II. §. 4.
2) Sammlung auserlesener Abhandl. Bd. XX. St. 3.
3) *Fourcroy* de la medecine eclairée T. IV. 1792.
4) Archiv f. Geburtshülfe St. 3. p. 3.
5) *Carus* Gynäcologie I. p. 327.

Omnibus ergo caret dubitationibus, vasa vera sanguifera polypis non inesse; stillicidium sanguinis post resectionem a dissectis deducendum est canaliculis, parenchymate spongioso formatis, qui non uti vasa sanguifera parietibus propriis gaudent; nam exercitatissima manus canaliculos hosce in lucem proferre haud potest. Omnes, qui hoc negant, hac niti videntur opinione: polypum post deligationem intumescere, quia venis superficialibus compressis, arteriis contra profundioribus sanguinem adducentibus, exitus sanguinis venosi impediatur. Sed omnibus elucet praemissis, circulationem huic excrescenti non inesse, tumorem autem post deligationem ex compressione telae cellulosae humorumque insidentium spatio coarctato nasci puto.

§. 6.

Multae exstant polyporum divisiones, cum secundum structuram, tum secundum sedem etc. quarum exponam praestantissimas. De carnosis jam vetustissimi commemorant auctores e. g. *Hippocrates* [1]). Cuinam enim non polypi veniunt in mentem de molis legenti: *περὶ δὲ μύλης κυήσιος τόδε αἴτιον. Επὴν πόλλα τὰ ἐπιμήνια ἐόντα γονὴν ὀλίγην καὶ νοσώδη ζυλλάβωσιν, ὥτε κύημα ἴθαγενὲς γίνεται· καὶ ἡ γαςὴρ πλήρης ὥσπερ κυόυσης. κινέεται δὲ οὐδὲν ἐν τῇ γαςρὶ, ὥδε γάλα ἐν τοῖσι τιτθοῖσι ἐγγίνεται; σφιγᾷ δέ τὸ στῆθος. αὕτη ὤν δύο ἔτεα πολλάκις δὲ καὶ τρία οὕτως ἔχει. καὶ ἢν μὲν μία σ ὰ ρ ξ γένηται, ἡ γυνὴ ἀπόλλυται.*

Sed et *Actius* et *Ruysch* [2]) de carnosis disserunt. *Walter* laxos habet et condensatos, quippe quos ab eo loco uteri, cui insident cujusque indoli aequiparant, ita nominat. In *annotationibus academicis Berol.* 1736. 1. polypos uterinos stricte sic dictos 2. p. cervicales 3. p. vaginales habet. *Starkius* secundum se-

---

[1]) *Hipp. τὰ θεραπευτικὰ περὶ γυναικέιων.* ed. *Kühn* 1826. p. 703.

[2]) *Fredr. Ruyschii* thesaur. anatom. Observat. VI. p. 9. Amstel. 1724. Nonnulli, inquit, carneam substantiam repraesentant, multi è contra membranae involuti substantiam pituitosam et limosam nacti sunt. Modo nobis polypus malignus et cancrosus occurrit, modo omnis malignitatis expers.

dem in polypos uteri et vaginae (*les vivaces Levreti*) secundum eorum indolem in mucosos, spongiosos, lamellosos, tubulosos vel cavos dividit.

Mende in benignos et malignos; benignos nominat, qui corpore sano iisdem orti sunt e rebus, quae formationem morbosam cum partibus genitalibus communicare valent, inque superficie interna vim resistendi, qua excrescens vitiosum certis finibus contineatur, tollunt; malignorum ortum morbo quodam fulciri dicit vel dyscrasia, e. g. arthritide, syphilide, exanthematibus suppressis, ceterisque aliis. Benignos iterum dividit in carnosos, petiolo crasso, p. tenui et p. tendinoso; in mucosos, quorum duo exponit genera:

1. polypos carnosos vestitos tunica mucosa, quae loco ubi oriuntur polypi, adhaeret,
2. polypos mucosos proprios, qui unice tunica mucosa formantur; quorum iterum distinguit inter eos, qui condensatione et protractione, et qui extensione et protractione sine condensatione sunt procreati.

Meifsnerus l. c. p. 25. §. 12. haecce habet:

1. Quoad structuram et consistentiam polypi sunt
   a. benigni
      α) cellulosi (vel uti vulgo dicuntur carnosi)
      β) mucosi
      γ) corpora aliena continentes (e. g. adipem, crines; hi rarissimi sunt interdumque maligni)
      δ) cavi.
   b. maligni
      α) tendinosi
      β) indurati
      γ) carcinomatosi
2. Quoad sedem
   a. qui in fundo corporeque uteri
   b. qui in collo
   c. qui in margine orificii uteri
   d. qui in vagina radices agunt.

Quae autem divisiones, quamvis sint subtilissimae acuminisque ingenii certissimae testes, nullius tamen esse momenti quoad curam videntur; mihi quidem haec maxime arrisit divisio.

Molles seu vesiculosi, mucosi, colore flavo seu pallide albo, aequali semper constant textura tenui, fluidum mucosum in cellulis continente, quod, si premitur, effluit, quo effluxu volumen diminuitur, evacuato autem humore tunica mucosa circumdans remanet. In superficie eorum plerumque inaequali singula animadvertuntur vasa tenuissima, quae in parenchyma *non* penetrant; petiolo plerumque vel crassiore vel tenuiore emergunt; celeriter crescunt, temperie humida incrementum, sicca decrementum capiunt.

Duri seu carnosi, fibrosi, colore rubro seu e rubro candicante seu coeruleo (multitudine vasorum sanguiferorum in superficie ramificantium) tunica splendida modice firma sunt induti; superficie laevi, sulcata aut incisionibus praedita; dissecti modo massam aequalem et regularem, modo crassissimam praebent telam *celam* cellulosam, striis fibrosis multos in lobos divisam; tardius crescunt, volumen mollium non aequiparant; digito premente dolent, et saepissime sanguinem sponte mittunt.

Sunt praeterea polypi, qui non nisi incitamento quodam crescunt, quo textura ita mutari potest, ut degeneratio scirrhosa oriatur, insigni duritie, doloribus pungentibus acerrimis, perpetuo ichoris feculenti effluxu nec non sanguinis, subitoque incremento notabilis.

§. 7.

Jam sumus in eo, ut de signis pathognomnoicis, quorum ope morbus noster dignosci possit, sermonem faciamus. Quae vero cum sint tam dubia et fallacia, ut vix morborum species inveniatur, quae hac ratione cum nostra sit comparanda, haud inique mihi facere videor, si omni judicio, quod nominant positivum omisso, negativum potius, nimirum omnium morborum cum nostro facillime commutandorum mentione facta, discriminibusque relatis proponere studeam. Quae ab auctoribus fere omnibus in medium proferuntur, haec sunt: Polypus parvus in uteri cavo obortus a medicis etiamsi experientissimis vix dignosci potest, cum nulla existent symptomata, quae eum manifestare possint.

Increscens demum vomituritiones et vomitum ipsum, gravitatem et stuporem in regione lumbali et sacrali, dolorem pungentem et pruritum in mammis excitat. Sensim sensimque portio vaginalis extensis uteri parietibus, brevior fit et crassior et durior, prolongata uteri parte inferiore. Aucta dein magis magisque polypi mole, per orificium uteri nunc apertum massa sanguinolenta vel imo sanguis effluit et excrescentia polyposa vel paullatim vel subito per orificium descendit. Dum in vagina moratur velocissime crescit, doloresque multos, imprimis stranguriam et tenesmum efficit; augentur dolores in regione sacrali et lumbali et haemorrhagiae nimiae aegrotae vires debilitare incipiunt. Morbus ad hunc gradum provectus, quo, ut diagnosis certior fiat, exploratione instituta, polypum digitis sentiri licet, medicum vix fallere potest; sed maximae impudentiae sit oportet, qui contendere velit, sese jam in primo stadio affectionem hanc morbosam accuratissime delineare posse. Symptomata enim in prima polypi origine nobis manifesta, de ejus praesentia nos certiores reddere non possunt, neque enim tumor nec dolor, nec sanguinis fluxus et aliae, quae tum observantur, affectiones morbosae ejusmodi sunt, quae tamquam huic morbo solennes considerari possint, cum et in multis aliis morbis haud raro observentur. Necesse igitur esse mihi videtur, ne erremus, ut, de polypo praesente judicantes, animum nostrum ad illos affectus morbosos vertamus, qui mira cum polypis similitudine, medicos eosque sagacissimos fallere solent. Legentibus itaque me non displiciturum esse spero, si morborum illorum signa, quibus vel consentiunt vel distinguuntur, exponendo, rem meam enucleare studuero. Commutatur vero morbus noster cum graviditate, mola, prolapsu uteri, inversione, scirrho et carcinomate et excrescentiis fungosis.

§. 8.

Permultis symptomatibus graviditatis et polypi consentientibus distinctionem haud facilem esse, satis liquet. Sequentia forsan stabiliendae diagnosi inservire possunt. Si *status* aegrotae et *coïtus praegressus* graviditatis suspicionem excitare possunt ad haec

haec animus noster erit animadvertendus. — *Symptomata consensualia*, quae graviditatem comitari solent eo magis decrescunt, quo magis partui aegrota accedit; signa vero a polypo excitata tempore augentur,

Mammae gravidarum pedetentim tument, et quidem maxime sub finem graviditatis, quem tumescendi ordinem in polypo laborantibus nunquam animadvertere possumus, cum interdum non vero semper tumescant, et nunquam ita ut in graviditate extendantur.

Menstruatio, etiamsi nonnunquam in foemina foecundata non dispareat, tamen modum typumque non transgreditur; effluxus sanguinis a polypo excitatus, aquosus, corruptus: partibus fibrosis mixtis.

Extensio uteri gravidi major et regularior, polyposa excrescentia affecti modo tardius modo celerius crescit, loco, quo polypus adhaeret, elatior.

Quae signa diagnostica ut certiora fiant, interna quoque exploratione opus est, qua haec apparent:

Portio vaginalis uteri gravidi pedetentim extenditur, mollis et elastica, orificium semper clausum, non aperitur, nisi, quod dolores praesagiunt, foetus vel mola emittitur; uteri polyposi contra portio vaginalis durior, orificium internum sine doloribus apertum, nonnunquam per plures hiat annos, labiis vero orificii nunquam plane disparentibus.

Motus infantis post decimam et octavam hebdomadem sentitur, contra in polypo nunquam.

Tempus graviditatis certis finibus est coarctatum, polypi vero incertis vel nullis.

Effluxus ichoris teterrimo interdum odore polypi vestigia indicat quem in graviditate non animadvertimus. Saepissime etiam particula putrefacta et sanguinea, imo vero sanguis per vaginam emittitur. Quae autem non nisi per orificium uteri in vaginam penetravit polypus, apparent signa.

§. 9.

Mola, qualiscunque sit, seu spuria seu vera, uterum praeter consuetudinem celeriter expandit, portione vaginali breviori et molle; orificium uteri, donec emittatur mola plane non aperitur et tunc quidem non pedetentim sed subito. Porro mola per quinque vel, quod summum est, sex menses in utero

remanet, quibus praeterlapsis excluditur. Absunt quoque, quae polypum comitantur, variorum humorum effluvia.

§. 10.

Transeamus nunc ad illa signa, quorum ope discernendus est morbus noster ab uteri *prolapsu*, et quidem primum ab incompleto: polypus mollior est, sensibilitate, qua portio vaginalis praedita est, omnino caret. In inferiore parte polypi nulla occurrit apertura, sed nonnunquam tamen impressio quaedam vel fovea, quam ne pro orificio uteri habeat, caveat medicus! Commutatione pericula et molestiae afferuntur haud minimi momenti. Saepe polypus pessariis curatur, quibus dolores acerrimi efficiuntur, saepe prolapsus uteri premitur, stimulatur, vel imo temere deligatur quaenam, quaeso, detrimenta aegrota capere non possit?

In hoc foramen praeternaturale, ut *Levreti* verbis utar, nunquam specillum penetrabit. Polypus pyri vel cepae simulat formam, pars inferior crassitudine partem superiorem superat, quod vice versa in utero prolapso observamus. Prolapsum incompletum uteri nunquam haemorrhagia ut polypum comitatur. Polypi repositionem frustra conaberis aegrotamque acerrimis doloribus excruciabis, dum prolapsum facile reponeres, doloresque etiam post repositionem cessarent.

Specillum praeterea inter polypum vaginamque ab eo repletam facile usque ad fundum uteri produces, in prolapsu semper impedimenta invenies et nunquam profundius penetrabis.

Multo contra facilius quam ab incompleto a completo prolapsu distingues polypum. Orificium uteri in prolapsu solum, nec in polypo, occurrere nemo negabit. Distinctio ope specilli hic etiam ad diagnosin multum conferet. Symptomata uteri prolapsi plane diversa sunt ab illis, quae in polypo occurrunt.

§. 11.

Commutatio polypi cum *inversione* uteri ideo facile fieri potest, cum in utroque casu digito disquirenti pars majoris occurrat ambitus. Cum inversio incompleta esse possit et completa, duplex nobis

erit distinguendi ratio. Polypus, qui in vagina adhuc moratur ab inversione uteri incompleta hisce dignoscitur: Polypus in foeminis, quae nunquam pepercre, saepe observatur, inversio autem sequela est partus praegressi; polyporum forma supra tenuis, infra est crassa quam vero vice versa in utero inverso observamus.

Polypus permagnus uteri orificium ita coercere solet, ut vix digito explorante tangi possit; inversus vero uterus orificium dilatat et extendit. Repositione uteri facta, levamine aegrotae gaudent, repositione polypi scilicet tentata dolores augentur. Uterus inversus ungue [1]) vel specillo leniter laesus, dolet, polypus vero omni, ut jam dictum est, caret sensibilitate. Ligatura denique vel forfex ad polypum removendum applicata nullis aegrotam afficit doloribus, exceptis iis, qui expansione et irritatione vaginae efficiuntur. Ceterum in inversione uteri incompleta fundum inversum orificio quasi annulo coarctatur et adstringitur, repositoque fundo per orificium, quod in polypo frustra tentabis, dolores molestiaeque cessant. Inversione autem uteri polypo ipso provocata, symptomata et decursus morbi sunt respicienda; polypus etiam semper hoc in statu partes genitales internas transgressus est, et petiolus in fundo uteri protracto et latiori adhaerens vel subtilissimo tactu haud est percipiendus.

Inversio uteri completa primo intuitu polypo simillima est, quia uterque casus eandem praebet formam, in inferiore parte crassiorem, in superiore tenuiorum, et quod magis ad confundendum conferre potest, nulla in utriusque infima parte occurrit apertura. Quare ad haec attenti simus oportet. Orificium uteri in completa ac in incompleta inversione quasi annulo, vel plica, ut *de Siebold* dicit, circumdat uterum, quod nunquam in polypo contingit. Specillum denique vel imo digitus juxta poly-

---

[1]) Beatus *Ribke* primus fuit, qui hanc explorandi methodum denuntiabat, quam etsi ad stabiliendam diagnosin conferre non negandum est, attamen in omnibus casibus minime certum ejus praebet auxilium.
Cf. *v. Siebold* Journal Bd. VII. St. 3. p. 931.

pum vaginae immitti potest usque ad fundum, non autem in inverso utero. Partem tenuiorem vel petiolum polypi duram et firmam, illam uteri mollem, laxam, facileque comprimendam sentimus. Porro inversio etiam completa nonnisi *statim* post partum occurrit, cui nisi mox consulitur, gangraena, ut sequela summae inflammationis oritur aegrotamque brevi post ad inferos mittit. Uterum inversum si tangis, dolores efficies, polypum contra quovis instrumento vel digito si tractas, aegrota plane sese habebit quieta.

§. 12.

Scirrhus et *carcinoma* uteri in eo aequiparant polypo quod sanguinis nec non humoris acris et foetidi irregularem praebeant effluxum. Accedunt vero alii affectus ut pruritus intolerabilis, ardor in partibus affectis, dolores pungentes vespere aucti ab osse sacro et vertebris lumbalibus antrorsum in cavum pelvis et ad lumbos usque propagantur etc. Digito autem investiganti semper portio vaginalis mutata apparebit propter loca inaequalia, quos *Haukius* [1]) morchellae esculentae similes habet, ita ut labia et orificium non subtiliter distingui possint. Polypo autem praesente portio vaginalis extensior est et quidem tenuior; labia vix exploratione dignoscuntur, non morbose sunt affecta, desunt nodi, desunt stigmata et rupturae, si discesseris a partibus praegressis.

Excrescentias carcinomatosas facile dignosces. Saepe portio vaginalis plane est destructa, particulae vaginae, uteri, parietis anterioris intestini recti carcinomate affectae loca praebent inaequalia, quae fortasse cum polypo commutabis, sed dolores in tactu basisque lata, qua polypi carent, diagnosin firmabunt.

Excrescentias uteri *fungosas* a polypo distinguere poteris si ad totum aegrotae habitum respexeris, semper praeterea sunt sequelae uteri scirrhosi; orificium de more induratum est, ad tactum dolens, uteri forma irregularis; excrescentiae spongiosae, molles, haemorrhagias excitant; locus, quo inseruntur, sine ulla molestia sentiri potest; collum uteri deformant, rimamque orificii uteri obliquam reddunt.

---

[1]) *Rust* Mag. l. c. S. 275. §. 9.

Meifsnero l. c. p. 51. differentia inter polypos et scirrhum uteri exponenda ne operae quidem pretium videtur, neque non sum consentaneus cum signa tam praestantissima sint et evidentissima. Exposui quidem, quia in omnium auctorum scriptis inveniuntur.

Retroversionem et antroversionem uteri silentio praeterire liceat, quia medicus nec hanc nec illam unquam cum polypo facile confundet.

Ceterum *Starkius* monet, ne polypum cum varicibus haemorrhoidalibus *Chambon* de *Monteaux* [1]) commutes, signa autem diagnostica non docet.

Haec omnia quae nunc in medium protulimus, respiciat necesse est medicus, qui de polypo praesente certiorem se reddere velit; tum demum alacri animo curam instituat.

§. 13.

Summum momentum formationis polyporum in actione vitiata nisuque formativo nimis aucto tunicae mucosae in organo nostro peculiari vi producendi gaudentis ponendum est. Argumentum evidentissimum cotyledones multorum mammalium praecipue ruminantium praebent, quae eminentiis fungiformibus similes saepe ad magnitudinem pollicis petiolis tenuibus e superficie uteri emergunt. Perpetua vero irritatione hujusce tunicae non solum, sed etiam partium infra tunicam jacentium causa praedisponens nititur. Aptissime causae nominantur externae et internae. Externis adnumeranda sunt: corpora aliena in utero, laesiones uteri in partu auxilio artificiali provocatae, temeraria secundinarum prehensio, quo facto aut particulae remanent, quae inflammatione vel suppuratione indurationes et obstipationes gignunt, aut tunicae ab uteri superficie interna evelluntur, ideoque lympha vel alii humores exsudantur et tum indurescunt. Porro nominanda sunt onania, coitus nimius, qui primo congestionem sanguinis ad genitalia promovent, in posterum autem earundem partium atoniam procreant. Qua de causa facile intelligitur cur in meretricibus

---

[1]) Ejusd. Maladies des femmes T. II. Paris 1784.

saepissime occurrant polypi, sed quod mirum est, etiam in mulieribus, quae desiderium Veneris non explent; quid? quod Ill. *de Siebold* in puella quoque menstruanti, cum omnibus illaesae virginitatis signis polypum observavit, qui hymene dilatato in vaginam penetrabat; quo resecto alii adhuc apparebant duo minores, quos cauteriis sanavit [1].

Causis internis adnumeraverim: Syphilidem, arthritidem, scrophulosin, congestiones ad genitalia omniaque iisdem faventia, e. g. phantasia exaltata libris obscoenis e. s. p. menstrua nimia vel aliae haemorrhagiae, quibus non solum congestio exstat durantibus, sed etiam cessantibus humor quisque penetrat et spissatur. *Starkius* l. c. in individui haemorrhagiis laborantibus plerumque se eos invenisse dicit. Nec non usus medicaminum quorundam procreando hoc excrescens vitiosum favere potest e. g. ille Opii, praeparatorum ferri, remediorum abortivorum e. s. p. Nec minus spasmi nimii uteri doloresque ad partum secundinarum, quibus certis in locis uteri contractiones proferuntur, stagnando sanguini inservientes.

§. 14.

De pathogenia morbi nostri multum inter se discrepant auctores, quorum praestantissimas exponere liceat sententias. Particulam uteri irritatam effluxu menstruali acri vel quocunque humore acri ad id organum perveniente e. g. fluore albo acri, contrahi; *Astruc* docet.

Mursinna [2]) excrescentias non solum polyposas uteri sed etiam cujusve generis ita nasci credit. Globulus sanguinis, remotis secundinis coagulatus et condensatus indolem praebet glutinosam et viscidam, quam revera in abluendo tali sanguine animadvertimus. Doloribus vero ad partum secundinarum partes constitutivae aquosae emittuntur et quasi abluuntur, unde fit, ut corpus viscidum et glutinosum remaneat, ex quo in posterum excrescens nostrum formatur. *Levretus* indurationem particulae

---

[1]) Ejusd. Frauenzimmerkrankheiten. §. 796

[2]) Abhandlungen von den Krankheiten der Schwangern Gebärenden und Wöchnerinnen II. Bd. p. 34. Berl. 1786.

increscendo gravescentis ideoque deorsim prementis originis. momentum habet, unde etiam formam longitudinalem derivare vult. *Hunter* membranae deciduae partem abruptam, paullo post involucro quodam circumdatam summum formationis momentum esse docet. Nec defuerunt, qui causam ex obstipatis bursis mucosis derivarunt, ubi obstructo ductu excretorio et vena, arteria tamen aperta remanet actioneque propria non impedita gaudet.

Alii alias ediderunt sententias plus minusve diversas; ex omnibus vero elucet, laxitatem atoniamque uteri summam esse causam, quae fere semper ex symptomatibus totius habitus primo apparet intuitu; facileque intelligitur, morbosi excrescentis vim progrediendi advenientibus causis externis eo magis fulciri et sustentari. De pathogenia polyporum corpora aliena continentium ut ossa, adipem, crines etc. ne lis quidem sub judice esse potest, quia de illorum reproductione fere nihil suscipamur. *Meifsner* l. c. p. 61. ejusdem generis polypos plane negat, eosque ubicunque sint inventi et explorati et descripti, non polypos sed molas fuisse censet. Non meum esse potest de tali re judicium proferre.

Ingeniosissimus *Carus* nuper recentissima sua cogitata in ephemeridibus *de Sieboldi* de evolutione exposuit, quae ut hic locum teneant, mihi non indigna videntur.

Quum evolutionem et reproductionem, dicit, animalium inde derivemus, quod sanguis alendi materia imbutus hanc per arterias ad organa ducat et illic deponat, corruptam vero et dissolutam substantiam per venas et vasa lymphatica reducat, in polypis autem neque arteriae neque venae adsint: nihil restat, quam ut ejusmodi pseudoorganis vitam attribuamus propriam, qua eorum reproductio speciali typo crystallisationis ex humorum copia efficiatur. Varietas porro in polyporum structura, quae mox tabulatam concentricamque, mox aequalem spongiosamque praebet substantiam, tum crescendi vim e centro in pheripheriam tum e circumdante natura introrsum agentem probare videtur.

§. 15.

Causae praedisponentes et occasionales morbi

nostri ejusmodi sunt, ut si ab operationis molestiis periculisque discesseris, ipse non ad levissimum morborum genus numerari possit. Multum vertitur in diagnosi, qua difficiliori prognosis pejor fit; multum refert sedes, multum structura, multum tempus. Polypus collo uteri adhaerens facilius dignoscendus minoris est periculi; qui autem in corpore vel etiam fundo uteri sedem habet copiosasque excitat haemorrhagias, majoris. Quo diutius duravit, quo magis exhausta est aegrota haemorrhagiis, quo majus febris lenta capit incrementum, eo incertior fit prognosis. Polypi molles facilius sanantur duris, quippe qui duriores eo magis appropinquantur degenerationi scirrhosae. Tenuiore petiolo emergentes facilius removentur, minorisque sunt periculi crassiore emergentibus. Conceptionem non impedire polypos inter omnes fere auctores constat, sed, ni fallor, vagina hoc excrescente (scilicet si tantam adeptum est magnitudinem) etsi non plane repletur, coarctatur tamen membroque virili aditum ad uterum non permittit. Nemo praeterea negabit, esse polypos, qui non solum tactu sed etiam motu dolores excitent, qua ex causa, quin aegrota coïtum pati valeat, dubito. Haec solum sunt, quibus conceptionem impediri credo, ceteris aliis autem nulla exspectatur causa, qua conceptio prohibeatur, contra autem graviditatem semper fere abortu finire, inter omnes constat.

§. 16.

Jam sum in eo, ut de polyporum cura verba faciam sed antea monendum mihi videtur, ne lector singulas ab auctoribus propositas, et a medicis practicis perfectas curandi methodos hoc in libello exspectet, de *resectione* sola, cui prae ceteris omnibus annuendum esse puto, ejusque praestantia pro viribus disserendum, mihi proposui. Huic methodo non alia ac ceteris contigit sors, quippe quae mox laudata mox rejecta fuit, quod quidem in cujuslibet operationis historia animadvertimus. Fuerunt, iique paucissimi, qui detorsionem et evulsionem et cauteria, alii, iique plurimi, qui deligationem et resectionem laudibus ad coelum efferebant, nulla autem exstitit methodus, quae omnibus in casibus arrisit.

Quarum autem operationum ſatis omissis, ad resectionem tantum me convertam.

§. 17.

Omnium methodorum polypos uterinos sanandi vetustissimam esse resectionem, inter omnes constat [1]). Jam *Celsus* (de Medicina l. VII. C. 10.) habet: polypum praecipue ſerro curari jam alias posui etc. ſerramento acuto in modum spathae ſacto resolvere ab osse oportet.

Aëtius Amidenus [2]): Mulier igitur quemadmodum in nymphae amputatione diximus collocanda est, et prominens caro tenacula extendenda, totamque ensiculo a basi amputanda ac post chirurgiam curatio peragenda," eumque *Paulus Aegineta* et *Abulcasis* secuti sunt. Quid? quod *Fabricius* ab *Aquapendente* [3]) peculiarem ad resecandum idoneam forcipem excogitavit, quam primitus ad narium polypos exstirpandos destinatam et uteri polypis convenire docuit. Longum post temporis spatium polypos primum deligavere medici, deligatosque resecavere ut e scriptis *Levreti* et *Herbiniaux* percipimus. *Mayer* [4]) in commentatione sua *Thomasium, Cailhava, Collinum, Vacoussanium, Froumantanium* multaque alia denominat nomina medicorum, qui ligatos polypos tum sectione exstirpaverant [5]).

Tum certis conditionibus resectionem finiverunt auctores, quippe qui plurimi summo amore deligationi sese addicere coeperunt, ideo quod facilius perfici potuit. Inter omnes auctores *Richter* et *Bell* maxime nominatu digni sunt, qui casus statuerunt in

---

1) *Schreger* (Chirurg. Operat.) hujus methodi vetustissimos confert testes: Hippocrates de natura muliebri — Philoxenus in Harmon. Gynaeciorum p. 138 — Philumen. apud Aëtium Tetrab. serm. IV. c. 105.

2) Latine a *Joann. Baptisto Montano* Venet. 1534. l. XVI. C. 106.

3) Opera chirurg. Lugd. Batavor. 1723. Operat. chirurg. Cap. LXXX. p. 569.

4) L. c. p. 44. multa cura et diligentia nomina collegit, quae describenda non necessaria mihi visa sunt.

5) Huc etiam pertinet *Milleretí* exemplum cf. *Richter* bibl. Tom. V. p. 195.

quibus unice resectio prospero eventu esset perficienda[1]). Haecce leguntur:
Resecandus est

a. polypus egressus partibus genitalibus vel vaginae ita adhaerens, ut forcipe facile extrahi possit, petiolo labiis orificii uteri vel collo adhaerente tenuissimo, si antea parvum sanguinis effluxum effecit.
b. polypus, deligatione peracta, per aliquot dies firmissime alligatus, sub loco deligato.
c. polypus post deligationem propter petiolum tendinosum non solutus.
d. polypus periculum inversionis uteri exhibens et symptomata lethalia efficiens, quam celerrime, scilicet resectione est amovendus, quo parato repositio statim est indicata.

Ceterum deligatio usitatissima fuit methodus operandi. Recentissimis autem temporibus viri praestantissimi et eruditissimi, quibus frequens data fuit occasio, hunc morbum observandi optimamque illum amovendi rationem experiendi, unanimiter resectioni indulgent. *Osiander* primus eam perfecit, encheiresin autem nobiscum usque ad praesens tempus non communicavit. Plura tandem Ill. *de Siebold* expertus est et docuit, nec non forficem excogitavit huic operationi aptissimam, quam in *Mayeri* (l. c. §. 46) libello egregio descriptam et pictam reperimus. De encheiresi *Mayer* haec habet: „Situs aegrotae, medici sedes omniaque alia eadem sunt ut in deligatione. Qui operaturus est, laevae manus duos, aut si altius haeserit polypus, plures digitos oleo inunctos in vaginam ad polypi usque petiolum immittit, altera tum manu, secundum hosce digitos, forficem itidem oleo inunctam ad eandem caute ducit altitudinem, tumque, ne multum forficis membra diducere necesse sit, minusculis tantummodo secturis presse sub digito factis, petiolum paullatim perscindit, polypumque mox vel manu, vel si nimius fuerit forcipe ad id accomodata e vagina educit."

---

[1]) Cf. *Richters* Anfangsgr. der Wundarzneik. Bd. I. p. 419.
Stark l. c. S. 18
Meißner l. c. S. 82.

Nunc meum esse credo, proferre argumenta, quibus nisi, auctores faveant deligationi, illaque etiam, quibus resectio ceteris omnibus praestantissima evadat methodus, pro viribus exponere. *Meissnero* l. c, S. 82. aliisque haecce gravissima videntur resectionem polyporum vetantia:

1. Polypus maxima vi extrahendus est e vagina, alias autem resectio fieri non potest, quia cultro in spatio angusto cavi vaginae non utendum est. — Huic respondebo: culter nunquam est adhibendus, sed quidem forfex, et quod ad spatium attinet, quomodo quaeso obstetricatores concisionem infantis perficiunt?

2. Profluvium sanguinis oritur perniciosum, quod, etsi remediis stypticis plerumque sublatum, mortem jam effecisse exempla docent. — Huic: sanguinis profluvium rarissime perniciosum plerumque potius saluberrimum, quia metritis, quae haud raro deligationem sequitur, certissime prohibetur. Exemplis vero mortis nimia sanguinis jactura (rarissimis) exempla mortis, quae in deligationis historia leguntur, opponam.

3. Pondere polypi saepe multum fundi, cui polypus inhaeret in petiolum protractum est, ut dissecto petiolo, uteri portiuncula excidatur ideoque foramen oriatur uteri. —

Sed non nisi manus inexercitatissima tale opus proferre potest! porro etiam deligatione, ni fallor, portiuncula uteri deligata foramen quoque uteri oritur, quod majoris adhuc detrimenti mihi videtur, quia polypus deligatus non nisi putredine solvitur.

Quibus refutatis ad describenda commoda resectionis pergamus. *Exigui* primo adsunt *dolores*. Ex structura enim polyporum a nobis exposita elucet dolores sentiri non posse, quia hi nervis omnino careant; in omni autem genere, secundum omnem divisionem, sint mucosi, sint carnosi, sint tendinosi, ex testimoniis ab experientia nobis praebitis facile apparet, resectione ipsa, i. e. in momento operationis, aegrotas de nihilo quod dolori simile foret, queri, nisi fortasse de premente manu in vaginam. Multo majores autem afferuntur dolores deligatione, si discesseris ab iis, quos aegrota sentit, dum no-

dus firmius adstringitur hoc ipso sensu per multos dies est affecta multisque incommodis excruciata.

Nec minoris momenti mihi videtur *temporis brevitas* qua polypus resecatur. Aegrota plerumque non nisi magnis molestiis cruciatae operationi sese tradunt, quo in statu et viribus sunt exhaustae debilitatae; quid? quod saepe vires non suppeditant, ut operationem i. e. deligationis tempus, quod rarissime octo vel quatuordecim dierum spatio finitur, superare valeant. Nec minus methodus antiphlogistica, quae quam diu excrescens non solutum est, instituenda est, ad debilitandam aegrotam confert.

Exemplum evidentissimum cel. *Carus* [1]) nobis narrat in *de Sieboldi* ephemeridibus, ubi aegrota, in qua deligatio erat instituta, mortua est die nona, quo in casu evenit ut disrupto funiculo bombycino incerato deligatio *bis* applicanda esset.

Nullae fere *sequelae* observantur in resectione, ut in sequentibus morbi historiis invenies nec non in illis, quos *Mayer* nobiscum communicabat. *Hermannus Bluhmius* [2]) medicus Revalensis certissimus quoque testis, nullas post resectionem vidit molestias. Teterrimus quoque foetor, qui deligationis sempiternus est comes, effluxus ichoris in resectione exiguus vel nullus animadvertitur. Excretio alvi et urinae haud impedita est, quia polypus modo resectus etiam dimovetur nec vesicam urinariam nec intestinum rectum premere vel irritare potest; polypus contra deligatus increscere incipit, spatiumque pelvis eo magis coarctatur.

Polypum porro si deligaveris, fundo uteri adhaerentem mole polypi ipsius, scilicet si notabilis est magnitudinis, adveniente dein illa instrumenti eo facilius *inversio uteri* nasci poterit, quae in resectione *minus timenda* tibi erit. Periculum quoque non adest polypum abripiendi, quo si evenit, ut in deligatione fieri potest, sanguinis effluxus ex laesa sub-

---

[1]) *v. Siebold* Journal Bd. VII. St. 3. p. 928. XXXIX. Seltener Fall eines ungewöhnlich grofsen Mutterpolypen.

[2]) Cf. *Stark* Archiv III. 3. p. 593.
Blumenbach Biblioth. Bd. 3. p. 148.

stantia ipsius uteri, adeo perniciosus oriri potest, ut vix remediis stypticis amoveatur.

Duo autem adhuc restant momenta, quae sine dubio aliis relatis omni ratione antecellunt, et haec duo commoda si modo resectioni propria forent, ad ejusdem methodi praestantiam celebrandam sufficerent. *Sanguinis* nempe *effluxus* rarissime tantus observatus est, ut periculum afferre posset, fere semper fuit *exiguus*; quid? quod plerumque in uteri induratione incipiente et varicosa potissimum saluberrimus est, nec non inflammationis imminentis tumorisque morbosi pericula certissime tollit, contractionemque uteri normalem efficit. Si autem, quod non timendum et quod *de Siebold* nunquam inter amputandos polypos observavit, haemorrhagia nimia occurrat, quae aegrotam evidenter debilitet, injectiones ex aceto vini cum aqua in uterum sunt instituendae, spongiaque cylindracea, quam mixtura relata implemus inducenda est tamque diu imprimenda, quam nullum sanguinis effluxum animadvertimus.

Tandem omnium sectionis virtutum ea videtur praestantissima, qua certissima nobis eveniat spes *nunquam* fore ut *regeneretur* vitium. Praeceptor [1]) certe summe venerandus polypum forfice exstirpatum usque ad hoc tempus regeneratum nunquam vidit; deligatus autem haud raro novum cepit incrementum. *Stone* [2]) quidem regenerationem polyporum forfice exstirpatorum observavit qui basi lata adhaerent, quos autem *Carus* ingeniosissime nec ad polypos, sed potius ad steatomata et sarcomata uteri, nec omnino inter eos, qui operando apti essent numerat. De causis hujusce regenerationis usque ad nostra tempora ad certam theoriam nondum perventum est, pathogenia polyporum non usque ad umbilicum perducta. Lectu dignum videtur exemplum evidentissimum, quod Dr. *Steinthal* [3]) nobiscum

---

[1]) Cf. historias morbi quas *Mayer* collegit l. c., nec non illas quas ego communicabo.

[2]) *v. Frorieps* Notizen für Natur und Heilkunde Bd. 16. No. 8. pag. 127.

[3]) *v. Siebold* Journal Bd. VII. St. 2. p. 641; über die Trennung des Halses des Gebärmutterpolypen nach Entfernung des

communicavit in *de Sieboldi* ephemeridibus. Deligationem narrat esse factam symptomatibus disparentibus; post annum et semis rediit polypus, quo iterum deligato, post menses quatuor polypus eadem magnitudine adfuit. Symptomata post quatuordecim dies acerrima explorationem iteratam postulavere, qua inventum est, tumorem magnitudine et mollitie prioribus aequiparantem regeneratum esse. Denuo deligatio fuit instituta, sed aegrota diem obiit supremum.

Quibus expositis satis apparet, resectionem polyporum deligationi longe antecellere, et ubique esse instituendam nisi polypi petiolus tam alte sit situs, ut manibus prehendi non possit.

Körpers der Geschwulst von *Thomas Arthur Stone* an der Entbindungsanstalt in Brown-low-street in London. (Lond. med. et phys. Journ. Nov. 1825).

OBSERVATIONES POLYPORUM UTERINORUM FORFICE EXSTIRPATORUM.

I. Exstirpatio polypi ex utero ceterum integro.

Carolina Gr.... vidua, 41 annos nata, sedecimo aetatis anno sine ulla molestia menstruata, et vicesimo septimo nupta viro, duos peperit liberos. Utrumque partum feliciter superavit ipsaque lactavit. Per quinque annos fluore albo laboravit, pedetentim increscente. Menstrua copia quidem haud imminuta et justo ordine intrant; sed ubi apparent aegrota simul prolabens aliquid sentit, quod demum redit, ubi illa cesserunt. Sed non solum fluxu menstruorum nimio sed etiam fluore albo adaucto prolabi aliquid sentit. Interdum quoque fit, ut, etsi menstruorum tempus non sit, muco prodeunti sanguis immixtus sit, nullo tamen odore nullaque praeditus acrimonia. In ossium pubis regione aegrota dolores per totam pelvim protractos sentit, qui valde augentur, si stando et multis occupationibus diu distringitur. Alvus segniter soluta. Menstrua vix finita nunc rediere, aegrota valde se emarcuisse edixit.

In disquisitione apparuit polypus mucosus magnitudine nucis avellanae longo adhaerens petiolo, collo uteri affixo juxta orificium uteri externum. Ceterum nulla animadvertebatur affectio uteri. Nunc facile intelligitur, hunc esse polypum, qui durantibus menstruis vel copioso fluore albo depressus extra partes genitales apparuit, quod eo magis elucebit notione: quod uterus hoc in statu semper fundum pelvis petat. Prognosin bonam habuimus, opeque forficis polyporum, exstirpationem constituimus. Decimo nono m. Julii Ill. *de Siebold* aegrotam coram auditoribus in pulvinare obstetricio ejus poni jussit et operationem perfecit. Aegrota se nullum dolorem sensisse affirmavit, sanguinisque profluvium vix spatium cochlearis magni implevit. Spongia deinde vaginae illata, aegrotam quiete lectulo incumbere jussit. Polypus petiolatus dissectus telam ostendebat cellulosam fungosam, cui materia spissa, mucosa,

albumini coagulato similis insidebat. Vespere ejusdem diei aegrota urinam emittere non potuit, surrexit paullulum, quo in statu sine ullo dolore molestiisque minxit. Diaeta antiphlogistica instituta, potioque, quae Limonada vocatur, porrecta. Postridie bene sese habuit, quintoque die post operationem institutam e nosocomio obstetricio dimissa est, in quo cautela magis quam necessitudine retenta erat.

II. Exstirpatio polypi ex utero scirrhoso.

Dorothea N. . . rhedarii uxor, 43 annos nata, infans optima semper valetudine gavisa pubertatem justo tempore et ordine assecuta est. Anno aetatis vicesimo secundo, nupta viro multis quidem cum molestiis sed nullo artis usa auxilio filiam peperit, quo in partu per quatuor horas in sella partui inserviente distringebatur. Lectum puerparae relinquens de tumore dolorifico in latere sinistro, qui nullis remediis tolli poterat, valde questa est. In coïtu exercendo dolores sensit, qui ad femur sinistrum se extendebant. Semel postea partu vivo semelque abortu enixa est. Inde ab hoc tempore dolores supra memorati in latere femoreque sinistro redierunt, tumor autem disparuit. Nunc fluore albo sanguine mixto valde laborat, et si coïtum exercet in certo loco vaginae dolorem sentit. Interdum quoque stranguriam, tenesmum, alvumque habet adstrictam. Signa congestionum ad caput et pectus non adsunt, appetitus autem exiguus. Dentes ad maximam partem usu calomelanos, quod medicus quidam ante aliquod tempus ei porrexerat aboliti; mammae nihil morbosi praebuere.

In disquisitione, digito in vaginam misso, statim polypus pyriformis, in canali colli uteri radice fixus dignotus est; portio vaginalis dimminuta, annularis, nodulis scirrhosis circumdata. Per intestinum rectum disquirentibus fundus uteri dolorificus inveniebatur. Diagnosis itaque non fuit difficilis; polypus et scirrhus evidentissime apparuere. Una remansit quaestio, an etiam in fundo uteri scirrhus adesset, quod signa praesentia probare videbantur. Hirudines in antecessum regioni pubis applicatae, injectiones in vaginam ex herbis cicutae et malvae fac-

factae; exstirpatione constituta, aegrota ad hunc finem in nosocomio regiae universitatis nostrae recepta est. Quae autem cum antea rebus suis domesticis praeesse debuerit, tum demum illis in ordinem redactis, operationi se submittere potuit. Rediit post aliquot dies, iterataque disquisitione diagnosis jam constituta eo certior apparuit, quo leucorrhoea medelis porrectis fuerit exstincta, sed haemorrhoïdes apparuere, tenesmus, dolores in alvo solvenda, sanguinis effluxus, tumorque intestini recti haud exiguus. Qua de causa praescriptum est:

Rec. Tart. depurat. ℥ß
℥ rad. rhei
Magnes. carbon. aa ʒjj
Elaeosacch. foenicul. ʒjjj.
M. F. ℥. S. Ter per diem cochl. parv. sum.

Injectiones repetitae. 24. Mens. Julii aegrota in nosocomium recepta bona gavisa est valetudine; molestiae ex haemorrhoïdibus ortae minutae, Leucorrhoea disparuit. 25. Julii praeceptor dirigens Illustr. *de Siebold* horis, ad docendum constitutis, filium ornatissimum Dr. *Ed. de Siebold*, tunc munere tertii adjutoris fungentem, resectionem ope forficis majoris perficere jussit. Aegrota eundem obtinuit situm in pulvinare obstetricio ut in I. pedes sellis humilibus firmatae; operator sinistra manu polypi petiolum prensum iterato ductu resecuit. Ne paullulum quidem sanguinis apparuit, doloremque magis in tactu loci morbosi portionis vaginalis, quam in tractibus forficis esse ponendum aegrota est professa. Postea injectiones quaedam aquae tepidae factae sunt; orificium uteri statim contractum invenimus. Spongia deinde repleta ex aquae et aceti minus concentrata mixtura, anteposita, aegrota lecto incumbere jussa est. Post aliquot dies aegrota negotiis suis reddita est. Praeterlapsis sex mensibus quum ad nos rediret, leucorrhoeam quidem prorsus desiisse, at scirrhum uteri remansisse, polyposae vero excrescentiae nihil restitisse vidimus.

III.

Matrona B. . . . annorum 52, viro nupta, si eos, quibus infantilis aetas subjecta est, morbos ex-

cipis, corporis habitu robusto, omnibusque organismi functionibus ex ordine constitutis, bona semper valetudine usa est. Mensium profluvium sine ullis affectibus morbosis et doloribus intravit nec unquam suppressum est. Quinquies peperit, et tria puerperia, in quibus nutricis munere ipsa functa est, haud infelicem habuerunt decursum. Anno quidem 1802 symptomatibus ex ordine apparentibus, externa causa animadversa nulla, abortum est perpessa, quem ex quinque jam relatis duo puerperia secuta sunt, alterum anno 1803 m. Martio, alterum anno 1804 m. Augusto. Ex hoc tempore nondum peperit. A. 1808 profluvium muci albi incessit, quod nulla alia ostendebat symptomata, nisi corporis lassitudinem quandam, quodque etiam medicis in auxilium vocatis mox recessit et desiit. Annis sequentibus valetudine in melius semper versa, corporis ambitus crescebat, habitus faciesque minorem, quam revera habebat, annorum seriem ostendebant. Menstrua certis semper temporibus, singulis per tres, aut quatuor dies modice fluentibus, usque ad 1817 duravere, quo tempore menstruis vix finitis, haemorrhagia permagna in ambulando evenit. Ab hoc tempore tantum abfuit, ut fluxus menstrualis typum regularem servaret, ut potius aegrotam sine intermissione cruciaret; tamen vero ordinem quendam memoratu dignum hic fluxus sempiternus tenebat. — Tempore illo, quo olim catamenia intrare solebant, nil nisi serum apparuit, post paucos vero dies sanguis merus, tum coagula, dein iterum serum partibus fibrosis mixtum, denique aqua et mucus flavescens usque ad periodum effluxit sequentem, quae iterum iisdem symptomatibus eodem ordine prosequentibus, apparuit. Neque minus stipatus erat hic status morbosus symptomatibus consensualibus, quae fere quotidie mutabantur. Dedolatio, dolor in omnibus fere partibus totius corporis, praesertim in digitis manuum et pedum, eorumque plantis; dolor pungens in humeris et brachiis, in mammis earumque papillis, in latere sinistro faciei, in oculo, aure et dentibus fere semper adfuere; accessere vomitus, dolor capitis, capillorum jactura spontanea nimia, pruritus in cute, sicuti in miliaria

invenitur; alvus per hunc annum nimis erat aperta, per illum nimis clausa; pharynx ita in deglutiendo coarctata, ut cibi minutissimi vel imo potus, sine magno nisu hauriri non possent; vesiculae in lingua et ore, cujus anguli fere semper erant saucii, dentes sensim sensimque destructi non amplius cibos masticando sed contundendo apti fuerunt; respiratio difficilis et brevis in quoque corporis nisu; nimia irritatio ab aëre calido, haud vero a frigido; dolor in abdomine, tenesmus, stranguria; sensibilitas adaucta, risus et fletus spasticus. — Memoratu digna erat *pica*, sicuti in gravidis observari solet. Primum justo ardentius pisa petiit cruda, tum per multos annos caseum, quem nominant Embdensem, denique panem album et tostum devoravit. Mox macies totius corporis apparuit; cutis maculis obsita erat flavis, quae sub divo crescebant.

Quae symptomata omnia medicos *B*....... et *B*..... ad auxilium vocatos commoverunt, ut morbum ex annis climactericis originem ducere, et medicaminibus pharmaceuticis esse sanandum putarent. Sanguinis fluxui sero lactis aluminato mederi, reliqua symptomata vero aliis remediis deprimere conabantur. Quamquam haec omnia medicamina nonnunquam levamen attulerunt, tamen semper in pejus ruit aegrota, a medico consolata affectionem morbosam finitum iri annis climactericis rite praeterlapsis. Inter hoc tempus multis methodis utebatur medicus, ne ab homoeopathica quidem abstinuit; quae vero medicamina porrexerit, haud liquet, cum ab eo ipso pararentur; veri haud dissimile est, crocum ad fluxum sanguinis sedandum esse adhibitum. Exploratio obstetricia a medico *Br*...... instituta quidem medico *Be*... statum morbosum verum non aperuit, cum illa peracta ingenue declararet: uterum esse sanum, nec ab ullo vitio organico affectum. Die decimo mens. Julii prima instituebatur exploratio, quae aperte docuit, polypum, quo ad structuram, fibrosum neque in tactu dolentem, fundo uteri esse adnatum; (Cf. tab. lithogr. fig. I.). Aegrota die 11mo iterum explorata, die 12mo ope medicaminum et diaetae regularis praeparabatur ad operationem, quae die 13mo hoc modo instituebatur: Illustr. *E. de Sie-*

bold teste filio ornatissimo *Eduardo*, aegrotam in pulvinari suo obstetricio (*Sieboldsches* Geburtskissen) posuit atque polypum duobus digitis oleo inunctum captum, forfice more suo exstirpavit. Sanguinis effluxus tam parvi erat momenti, ut sponte neque ullis medicaminibus adhibitis sedaretur. Quod eo magis memoratu dignum, quo evidentius (Fig. I. a.) arteria in polypo videri potest, quae tamen in tunica superficiali fig. II. d. tantum observatur, substantiam ipsam nequaquam penetrans. Die 15mo emulsione utebatur cum sale antiphlogistico; injectiones ex herba malvae, cicutae et hyoscyami applicabantur. Die 17mo lectulum reliquit, die 19mo in et die 21mo jam sub divo ambulavit. Calendis Augustis, urbe nostra relicta, domum petiit.

Iter ipsum a die 2do usque ad 4to m. Augusti factum paucis solummodo molestiis aegrotam affecit, tempestas tantum calida dedolationem excitavit, cum et jam prius calor aegrotae fuerat magis nocivus quam frigus. Nunc vesiculae et dolores in ore cibos masticando non sentiebantur, anguli oris nonnunquam adhuc erant saucii; pharynx in deglutiendo non ita coarctata ut prius, quod vero uno alterove die modo augebatur modo minuebatur. Interdum hucusque dolore laceranti laborat in dentibus et gingiva, quae nonnunquam tumet. Praeterea debilitas totius corporis minuta, neque animus haud ita morosus et irritabilis ut antea. Accusat vero dolorem cubando nec vero pressu externo, in latere dextro excitatum, et quidem eo loco, quo antea polypus fuit, quamobrem ejus regenerationem timet. Praescriptum ei est:

Rec. Amygd. excorticat. dulc. ℥ß
— amar. ʒjj
ter. c. ▽. font. ℥VI
ut fiat l. a. emuls.
in qua solve
Extr. hyoscyam. gr. VI
adde
amygdalar. amar. conc. ʒjj
syrup. alth. ℥j
M. D. S. Omni hora cochl. maj. sum.

Rec. Ol. hyoscyam.
Ungt. de alth. aa ℥jjj
M. exact. D. S. ter per diem cochl. minus ope lobuli lanati in locum dolentem terend.

Praeterea balneis tepidis utebatur aegrota. — Evanuit mox dolor, neque hucusque rediit. Ope decocti chinae restituebantur vires aegrotae, quae usque ad hunc diem optima gaudet valetudine.

VITAE CURRICULUM,

Ego *Sigismundus Simson*, fidei mosaicae addictus, Vratislaviae pridie Idus Julii anno hujus seculi quarto natus sum patre dilectissimo *J. Simson*, quem praematura morte mihi ereptum lugeo, semperque lugebo, matre e gente *Lauriana*, quam huc usque Deus mihi benigne servavit. Primis litterarum elementis institutus, scholam, quae sub nomine *Friderici Guilelmi* Vratislaviae floret, adii, ubi praeceptoribus optimis *Roch*, *Neumann*, *Hiller* qui insigni cura studiorum morumque duces mihi fuere, usus sum. Anno 1818 gymnasium adii, quod a *Sta Maria Magdalena* nuncupatum, in patria floret in aeternumque floreat. Ibi praeceptoribus usus sum clarissimis viris: *Klopsch*, *Staats*, *K. O. Müller*, *Rüdiger*, *Klossmann*, *Kruse*, *Nösselt*, *S. G. Reiche, nunc* Rectore gymnasii inclytissimi *Elisabethani*, et Beato *Manso*, quem ad cineres usque maxima pietate colam. Studiis gymnasialibus absolutis, testimonio maturitatis instructus, quum arti salutari vitam dicare constituissem, anno 1824 almam Universitatem litterariam Viadrinam adii, ibique ab Illustr. *Wendt* t. t Rectore magnifico in album academicum inscriptus sum. Ibi his interfui scholis:

Illustr. *Thilo* de logice et metaphysice
Illustr. *Klose* de encyclopaedia medicinae
Illustr. *Treviranus* de botanices elementis; de plantarum physiologia; nec non in excursionibus botanicis eum secutus sum
Illusr. *Gravenhorst* de historia naturali in genere, de ornithologia; de zoologia
Illustr. *Otto* de anatome universa; de osteologia et syndesmologia; de anatome comparata; de historia foetus; nec non in arte cadavera dissecandi dux mihi fuit benignissimus
Illustr. *Fischer* de chemia experimentali; de chemia pharmaceutica; de chem. corporum organ.
Illustr. *Purkinje* de physiologia corp. humani
Illustr. *Henschel* de historia et literatura medicinae

Illustr. *Brandes* de physice

Illustr. *Steffens* de luce et coloribus; de magnetismo et electricitate.

Anno 1825 Berolinum me contuli et a viro summe colendo *K. A. Rudolphi* t. t. fasces academicos tenente civium academicorum, et ab Illustr. *Link* t. t. Decano spectabili medicinae studiosorum numero adscriptus sum. Ibi has audivi lectiones:

Illustr. *Rudolphi* de anatome c. h. universa; de anat. organ. sensuum; de entozoor. hist. natur.

Illustr. *Berends* aegrotorum lectulos adeuntem in clinico universitatis per breve solum tempus sequi mihi contigit; de febribus loquentem audivi.

Perillustr. *C. W. Hufeland* de therapia speciali

Illustr. *de Graefe* de akiurgia

Illustr. *Rust* in nosocomio Caritatis aegrotorum sanandorum dux mihi fuit.

Illustr. *de Siebold* de arte obstetricia et practica; eo duce artem obstetr. in machina exercui quam Phantom nominant, clinicum etiam cui praeest, frequentavi.

Illustr. *Horn* de Pathologia speciali; de vesaniis.

Illustr. *Casper* de formulis medic. concinnandis.

Illustr. *Hecker* de Pathologia et Therapia generali nec non Celsum interpretantem audivi

Illustr. *Osann* de materia medica.

Nec defui institutionibus, quas Viri Illustr. beatus *Berends*, *de Stosch* et *de Siebold* ad ipsos aegrotantium lectulos habebant.

Quibus omnibus viris illustrissimis, amplissimis experientissimis, praeceptoribus meis benevolentissimis palam summas quas habeo, nunc gratias ago. Nulla dies horum virorum maxime colendorum memoriam mihi exstinguere poterit.

Ceterum non possum, quin avunculo dilectissimo Domino *Rudolpho Laur* pro insigni vereque paterno, quo me complexus est, amore, gratias exsolvam maximas.

Tentamine philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi honores in medicina et chirurgia in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Placenta non protinus post partum arte est solvenda.

II.

In curandis morbis victus potius quam medicamentorum ratio habenda est.

III.

Ars obstetricia perperam ponitur in partu solvendo.

IV.

Summum ac supremum de morbis sanandis judicium nonnisi ab experientia peti potest.

V.

Amputatio partis gangraenosae prorsus rejicienda.

1.



2.



C L Muller ad nat del.